

„dia, prater Christum ejusq[ue] salvificum meritum, inducunt, & contra Cal-
vinianos, qui Solem justitiæ quasi haloni includunt, h. e. universalita-
tem meriti Christi infringant.“

Præterimus devotum illum Lutheri discipulum Johannem Mathesi-
um, qui concione VI Sarepta itidem hunc Malachia locum adducit, Joa-
chimum Zehnerum & Matthiam Flacium, quorum ille in Similitu-
dinibus Biblicis uno tantum verbo, hic verò in Clave Scripturæ strictim
idem illud attingit. Johannes Drusius heic etiam est sui similis, Solem
enim justitiæ interpretatur Solem, qui benignè largitur lucem suam, quò
motum sit, quòd justitiæ benignitatem notet, unde & pluvia justitiæ sit
pluvia larga & copiosa: deinde subjungit, Interpp. CHRISTUM innu-
scribunt, quibus ego non adversor. Nec debes bone vir, nec potes.

I. Josua verò Stegmannus, & ipse non inferioris subsellii Theologus, in
prolixo & variegato Christognosias seu Meletematum sacrorum o-
pere latius hanc ipsam comparationem diduxit. Postquam enim inte-
grum ferme caput sextum ex Plinii Historia mundi libro secundo attulisset,
(quamquam Jacobus Dalechampius, Medicus Cadomensis, à v[er]is-
simis illas Plinii in isto capite sexto sophisticas, adducto etiam testimonio
Paullino, haut leviter perstringat) subjungit plenam operationem eamq[ue]
triplicem. CHRISTUM nempe Solem esse ob lucem seu illuminationem,
quam, ut lux est purissima, CHRISTUS etiam sit purissimus, ut pulcerrima,
ita ille pulcerrimus, ut subtilissima, ita hic subtilissimus, quia om-
nia permeat, omnibus se invisibiliter communicet, undiq[ue]q[ue] diffun-
datur: diffundere autem omnibus præsertim verò Ecclesiæ suæ lumen sa-
pientiæ, lumen gratiæ, (quam comparat jaspidi, quia conciliat, rori,
quia humectat, flori, quia decorat, fonti, quia purificat, ponti, quia
sustentat, clavi, quia Paradisum reserat) lumen justitiæ, quod præ ceteris
ex duodecim Zodiaci signis explicare fuit annisus. Subjuxit autem, il-
luminare CHRISTUM corda per radios verbi prædicati, per radios fidei,
per radios Sacramenti percepti, acriter in clamans & objurgans nocti-
genas, quòd in incitiæ tenebris deliteant, tenebricolas, quòd in pec-
catorum caligine consideant & lucifugas, quòd in nebulis injustitiæ am-
bulent. Deinde dicit CHRISTUM esse Solem ob calorem seu Calefactio-
nem, quæ cernatur & in Regeneratione, dum calefacit, fovet, animat.

II. (1)

vi-